

veritatis, iustitiae, & aequitatis respectus reperitur. Et quae talia non sunt, trahi non debent in exemplum. *L. Quod contra rationem D. de regulis iuris.* Pro quo & regula Iuris 64. in Sexto, quae sic habet: *Quae contra ius sunt, debent vique pro infectis haberi.* Non ergo ut exemplaria proponenda, de quo & dictum Titulo 3. num. 92. Potuit etiam Vicaria potestas allegari eius, quae in Regibus nostris est, pro iis disponendis, quae ad Indorum conversionem, & stabilendam in Indis Christianam religionem spectant. Quae quidem videtur vltus gloriae memoriae Philippus Tertius, dum modum obseruandum in Prouincionibus Indicorum Beneficiorum praescripsit die 4. Aprilis 1609. de quo num. 43. nullam specialis alicuius Pontificij Indulti faciens mentionem. Sed hoc quidem non solidum firmamentum est. Quidquid enim de Regibus nostris fit, de quo dictum alias, Proregibus certe sunt fines praescripti, quos ultra citraque nequit consistere recti cura ministerij. Et cum negotium adeo periculosum sit, non est haec amplianda, sed cum omni moderatione tractanda potestas. Quod quidem generaliter de Proregibus loquendo verum habet, ut ostendit Dom. Solorzanus supra Lib. 2. Cap. 11. num. 15. & 16. Vbi quod clausula *Cum libera* in mandatis a Rege, Proregibus datis, limitationem habet ex forma praescripta.

47. Quod autem in causis, de quibus agimus, id maxime verum sit, eiusdem est verbis exornandum, dum citato Cap. 15. num. 46. & sequ. ita scribit: *Si causa, & causarum cognitio desideratur, iam apparet quam sit a Iuris Canonici principis alienum, quod Prorex, & alij Gubernatores, quantum Regum Patronatum exercent, se (etiam simul cum Praelatis) his causis immisceant, a quibus laici omnino abstinere debent.* Cap. Decernimus, cum vulgat, de Indicijs & quidem sub Censuris Bullae Canon. Domini. 5. 9. & 10. & Concilium Tridentinum Sessione 24. de Reformat. Cap. 18. quod solum Patronus laicis personam Beneficij praesentare permittit: ceterum eius examen visitationem, & correctionem, Praelato dumtaxat relinquit, vtpote soli, & vero iudici Clerici. Haec ille: cuius postrema verba vim specialem pro casu nostro praesferunt. Nam examinatio actus veri iudicis est, ut praebula ad sententiam iudicalem de sufficientia, quam Examinatores non ferunt, licet iudicium suum circa eandem interponant. Ex quo fit Patrono non posse vltatenus conuenire. Pro quo tandem rogo, cum auditis Examinatoribus a se designatis Prorex ad praesentationem procedit, virtute cuius examinis id praestat? Si prioris illius coram Ordinario: ergo illud sufficiens fuit: si posterioris, non est seruata in illo forma Concilij Tridentini citato Cap. 18. Non ergo legitime prius illud est reiectum, & ad aliud prouocatum. Et certe non videtur dici posse vti prioris praesentationem fieri, de cuius legitimitate fuerit Prorex certioratus; nam haec mera verba sunt, cum constet examen ad habendam certitudinem sufficientiae prout ordinari: atqui Prorex ratione secundae examinis tantum est certioratus de sufficientia, de qua se penitus incertum fatebatur: ergo vti illius fit praesentatio. Et Examinatores quidem in secundo examine iudicium suum proferentes, non aiunt legitime prius examen fuisse peractum,

sed sufficientem esse examinatum. Illis enim constare nequit de prioris examinis legitimitate, quia accidere potuit ut iam examinati, & minus sufficientes, non legitime approbati, scientes postea se iterum ab Examinatoribus per Proregem designandis, fore examinandos, studium auxerint, & sufficientiam fuerint consecuti. Quod neque suffragari in causa praesenti potest, quia habitas debet inspicere de tempore primi examinis, ex Rotae & alijs ab eadem citatis in Decisione quadam ex nouioribus 15. Nouemb. 1649. 5. Non vrges, apud Dianam Parte 10.

48. In casibus ergo similibus poterit Prorex praesentationem differre, & Ordinarium mone- re ut videat si quidquam fuerit in nominatione commissum, vnde offensio aliquorum, de qua ipsi constat, fuerit excitata. Illo autem legitime omnia peracta rescribente, & in priori peristente iudicio, annuendum quidem, quidquid vnus aut alter contradicat. Nam & Examinatores alij possunt esse contrarij, & Capitulares item: quorum tamen iudicio non statuit, si maior pars oppositori suffragetur. Immo plus aliquid sacra Congregatio censuit, ut refert Garcia de Beneficijs Parte 9. Cap. 2. num. 109. Cum enim rogatum esset, *An si pluribus examinatis, aliqui ultra dimidiam partem fuerint consecuti, & sic approbati, vnus autem omnia suffragia prospera reportari: Episcopus facta per Examinatores relatione posset, postposito alio, in quem omnia suffragia confluxerunt, vnus ex eis eligere, qui ultra dimidiam partem vocum habuerunt, cum omnes approbati dicantur? Congregatio respondit posse.* Hinc constat Capitulari, qui in contraria sententia fuit, non esse credendum, neque Examinatori, & multo minus iis, qui extra conclauem examinis fuerunt, qui passione multoties, non zeli puritate, ducuntur, aut rem non habent penitus exploratam. Quia vero aliquando contingere potest, ut de indignitate alicuius Proregi constet, circa quam Ordinarius ignorantia laborauerit, reijcere eum poterit, & in loco secundo aut tertio nominatum praesferre: immo & tenebitur sic facere, etiam si Ordinarius iudicet expedire, ut talis ex vno Beneficio, in quo periculosè versatur, debeat transferri ad aliud. Praesentatio enim indigni iniqua est absolute loquendo: quod si alias remotio expediat, remoueatur vique, sed non promoueatur, qui culpa sua Praeceptorum odium prouocavit. Et ita nuper accidit Excellentissimo D. Comiti de Alba de Aliste post doctorem virorum consultationem quemdam primo loco nominatum ab Illustrissimo Limano Archiepiscopo semel iterum repellente. Pro quo haec satis.

49. Dico secundò. Parochi Indorum debent illis praedicare, iuxta dicta. n. 3. & 4.

Dico tertio. Parochi Indorum peccant graui- ter, dum illos in diebus festiuis ad oblationes compellunt. De hoc dictum Titulo 12. num. 463. & 469. Vbi etiam de obligatione restitutionis videatur etiam Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 15. num. 92. & in Politica pag. 633. Col. 1.

Dico quarto. Parochi Indorum, dum decimarum partem non accipiunt, non teneantur ad restitutionem ex Officij diuini omnia recitatione. Constat ex dictis num. 15. & seqq. Quia verò iam est pro Indis à Regio Concilio sententia pronun-

*Quid in casibus similibus faciendum.*

*Congregationis Cardinalium notanda responsio.*

*Posse aliquando Proregem iudicio Ordinarij non stare.*

*Affertio 2. Praedictandum Indis*

*Affertio 3. Non extorquendas oblationes.*

*Affertio 4. Parochos non teneri ad restitutionem ex officij omnia*

*Neque potestatem in Indis ex concessione Pontificum*

*Proregum potestatem quos habeat limites.*

*Illustratur et vrgetur praecleara Dom. Solorzani doctrina.*

*Dilemma fortissimè.*

*si cum decimas non accipiunt.*

*Affertio 5. Non posse contraferre.*

*Affertio 6. Teneri ad omnia Parochis communia.*

*Affertio 7. Et ad vniuersum Rituali Pauli V.*

*Affertio 8. Et ut asperè Indos non trahant.*

*Vide etiam Tit. II. n. 2.*

*Concilium Lim. 5.*

tiata, vt non debeant speciale tributum pro sustentatione Parochorum soluere, & decimas pariter, sed vnum aut alterum: quod si obligentur ad decimas, inde eorum Parochos suam debere accipere portionem: rebus sic stantibus obligatio restitutionis erit, iuxta eam proportionem, quae loco est citat. demonstrata. Vide Tit. seqq. num. 18.

Dico quintò. Parochi Indorum nequeunt cum illis, aut per illos, contractionem lucrosam exercere. Pro hoc videnda, quae ex professo diximus Titulo 9. n. 151. & seqq.

50. Dico sextò. Parochi Indorum ad illa omnia tenentur, quae Parochis communia sunt, de quibus Cap. praeced. §. 2. Cum enim veri Parochi sint, & ipsi hoc frequenter inculcent ad iura Parochialia exigenda, non debent se in odiosis, si tamen verè odiosa sunt, ad obligationes scilicet, eo quòd Indorum sint, semiparochos tantum aestimare. Alia pro eisdem videnda Titulo 13. n. 4. & seqq.

Dico septimò. Parochi Indorum tenentur Rituali vti Pauli V. vbi eius esse copia potest. Videantur dicta num. 19. Dixi eius haberi copia potest. quia haec quandoque non extat, immò neque aliorum, ex quibus Mexicanum quoddam solet esse frequentius, quo vti licebit, quia sic est multorum vsu receptum. Et ita statuit Synodus Diocesana Limentis Libr. 1. Titulo 5. Cap. 17. vbi vsum Toletani praescribit, & in eius defectu, Mexicani, quia tunc temporis Romanum nondum fuerat euulgatum. In forma quidem Extreme Vnctionis aliquis solet esse diuersitas, sed quae ad substantiam non spectat. Vt verò in hoc & in alijs, quae ad Sacramentorum administrationem pertinent, omnimoda conformitas esse possit, facile erit Parocho ad aliquem in ciuitate residentem scribere, vt ex Rituali Romano ea fideliter depromat, quae maioris momenti sunt: quod & Parochus ipse facere poterit in Ciuitatem veniens, vt saepe accidit. Et cum hoc facile fieri possit, & res non exigui momenti sit, non videtur vacare culpa id facere praetermittens, quia modus administrandi Sacramenta ab Ecclesia praescriptus, non est alligatus litteris Typographia expressis, quandoquidem res ipsa, non modus litterarum imperatur.

51. Dico octauò. Parochi Indorum graui- ter peccare possunt, si se erga illos asperos & seueros exhibeant. Pro quo militant, quae Titulo 7. num. 6. diximus de Commendatarijs Indorum loquentes, id enim in Parochis locum habet potitorem. Et ratio est manifesta, timiditate eorum ac pusillanimitate perspecta. Quomodo enim ad illos confidenter accedent confessuri peccata, & animarum remedium inter diaboli frequentia tentamenta quaesituri? Quae de causa, vt diximus Titulo 2. num. 442. casus omnes ad forum Penitentiae spectantes concessi sunt cunctis Indorù Confessarijs à Concilio Limentis Tertio eadem reddente rationem, imbecillitatis inquam eorum, & spiritualis sensus inopiae. Sed extat magis speciale circa hoc eiusdem Concilij Decretum A. 3. Cap. 3. vbi si habetur: *Porro Parochis, ceterisque Ecclesiasticis ministris seridè praecipit, ut Pastores se meminerint, non percussores, & tamquam filios Christiana charitatis sinu Indos foueant & port-*

*sent. Quid si quisquam percussendo, maledicendo, aut alias quoquo modo Indum aliquem laeserint, Episcopi ac Visitatores seuerè admodum & inquirant & vindicent. Profectò enim turpissimum est. Dei Ministros in saeculis satellites verti. Sic Concilium: cuius & circa idem Decretum, habetur aliud A. 4. Cap. 8. vt Parochi per se ipsos non cedant aut puniant illos. Videndum illud, est enim quod legatur dignissimum.*

Dico nonò. Parochi Indorum circa vestium, decentiam debent suo statui congruentem obseruare: iuxta dicta Titulo 14. n. 21. & seqq.

Dico decimò. Parochi Indorum exemplo vitae debent illis singulariter praelucere, quia cum de conversione eorum agatur, & firmamento fidei in illis statuendo, cum Christianae perfectionis auctario, quidquid scandalizare eos potest, generalem ruinam loco aedificationis inducit. De hoc dictum Titulo 13. num. 65. Et consulenda praecipue quae dicta sunt Titulo 1. Cap. 3. vbi de qualitatibus Ministrorum Indicorum.

Dico vndecimò. Parochi Indorum sub reatu lethalis culpae tenentur illos ad Eucharistiae susceptionem disponere, & eam ipsis suo tempore ministrare. Pro quo sunt Auctores, quos adducit Dom. Solorzanus Cap. 15. citato, num. 95. & in Politica supra Col. 2. Et illis addendus Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico Quaest. 3. Et videri possunt quae diximus Titulo 12. n. 443. & seqq. vbi de hoc actum ex professo. Sunt etiam pro eodem grauiissima Concilij Limentis tertij Decreta A. 2. Cap. 19. & 20. quorum prius allegat Dom. Solorzanus, in quo de tradendo Viatico agitur, qui & secundum de Paschali Communionem poterat etiam allegare. Circa vtrumque autem, quae ibidem diximus consulenda, vbi Parochorum obligatio satis demonstrata. Vide etiam inferius num. 78. Iam ergo ad alia, pro quibus sit

*Affertio 9. Circa vestitus decentiam.*

*Affertio 10. De vita exemplo.*

*Affertio 11. De grati obligatione disponendi Indos ad Eucharistiam.*

CAPVT III.

Parochis Indorum vt sit prohibita cohabitatio foeminarum, & obseruanda circa illam.

52. **D**ictum de hoc Titulo 14. num. 15. & Concilij seqq. vbi Concilij Limentis tertij grauiissimum Decretum adductum, cuiusmodi peculiaris prohibitio discutienda. Sic er- go A. 3. Cap. 19. in sine habetur: *Sed neque inueniuntur Indas ad seruitia domestica, sine perpetuo sine etiam per vices alternantes, tenere vlla ratione permittantur: sed aut famulatu virorum, aut, si opus erit, mulierum satis aetate prouectarum seruitio utantur.* Sic ibi. In quo quidem Concilium Sacrorum Canonum est instituta secutum. Nam Cap. Inhibendum, quod est primum de Cohabitatione Clericorum, ita dicitur: *Inhibendum est vt nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat. Sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem: quia instigante diabolo & in illis seclus pertratum reperitur, aut etiam in pedisequis earumdem. Sic ibi. Et Cap. A nobis, eodem Titulo, ita dicitur: *Cum Clericus quoque non permittas mulierculas habitare,**

*Alia Sacrorum Canonum. Cap. Inhibendum, de cohabitacione.*



Cap. A nobis, eodem Titulo.

Ea grauitate obligata, sed usu temperata, & qualiter.

Non tamen circa Parochos Indorum.

Casus specialis de Parocho aegrotante.

Affertio 1. necessitate manifestata excusare.

Cap. 4. de Regul. Tur.

Affertio 2. probabilem timorem notabilem grauitatibus sufficit.

habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil permittit (auti criminis suspicari. Sic Innocentius III. cum prius Caput deductum fuerit ex Concilio Moguntino. Personas autem magis in speciali designat Lib. 37. Titul. 6. Part. 1. Nec videtur dubitari posse de graui circa hoc obligatione, grauitate rei ipsius, & Canonum verbis inspectis, quamuis usus notabilem induxerit laxitatem, vt sententia illa, quam adducit Glossa in citat. Cap. Inhibendum, videatur admittenda, illud scilicet procedere de Clericis suspectis & iuuenibus, ac de mulieribus etiam suspectis: pro quibus etiam Lib. 38. Titul. eodem: cessante ergo suspicione, stare cum illis habitatio poterit. Videatur inquam admittenda, ne plurimos grauis huius praecepti reos, qui bonam aliam fide procedunt, & aeternam damnationi addictos fateamur. In casu autem nostro minimè est tale aliquid admittendum, cum Concilium permissioem circa hoc omnem abscindat, dum ait: Neque vlla ratione permittantur, & circumstantiae tales sint, vt oporteat eis attentis cautelam specialissimam adhibere. Inter Indos enim viuunt, de quorum conuersione agitur, & a quorum persuasione longissime omnis debet esse suspicio, quæ suos possit maculare Pastores.

53 Sed circa hoc casus non praeuertendus occurrit. Aegrotat Parochus languore prolixo, qui grauet medicum, & multo magis patientem: foeminarum seruitio illi est opus, quia ubi non est mulier, ingemiscit egens. Ecl. 36. v. 27. nec proreclat satis aetatis, vt Concilium loquitur, ad id idonea. Quid ergo faciat miser inter angustias deprehensus? Quid in super, si contingat infirmum corpore, animo etiam periculosius infirmari, & cum seruitutibus non solum cogitatione & verbo, sed & opere, semel & iterum, immò & saepe peccare? Circa quæ

Dico primò. Si necessitas manifesta sit, sine graui peccato potest iuuenularum seruitium assumi. Sic habetur in Cap. 4. de Regulis Turis, Lib. 5. vbi sic dicitur: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Sic hodie si quis ieiunium pregerit aegrotus, reus vori non habetur. Sic ibi. In casu autem nostro manifesta est necessitas, vnde & licita fractio, si tamen fractio legis, vbi illam constat non obligare. Sic citandi Assert. 3.

54 Dico secundò. Ad assumptionem præfati famulatus non est necessarium quod damnatum seu grauamen subsecutum sit notabile, sed sufficit probabilis existimatio de illius grauitate cum manifesta experientia alicuius non euidenter leuis nocuenti. Quod probari potest ex receptissimâ doctrinâ circa opinionem probabilem, quòd scilicet illam possit tunc quis amplectari. Nam ex probabili fundamento nocuenti nascitur probabile etiam iudicium, quòd lex tunc non urgeat: nam ubi euidentis est, euidenter sequitur posse à verbis legis recedi: ergo ubi probabile, sufficiens est ad probabile iudicium, quod secure in praxi sic iudicans possit amplecti. Neque enim credibile est prudentem legislatorem, Ecclesiasticum præsertim, iuxta pietatis regulas procedentem, eo cum rigore obligare velle, vt non nisi eum euidentis est nocuenti periculum, à verbis legis possit recedi: quia sicut homines vt vitæ suæ aut salutis consulant, non solum euidentia pericu-

la, sed probabilia etiam vitare debent: ita & legislator communi circa hoc bono debet attendere, & naturali inclinationi conferuanda vitæ condescendere. Quod quidem in exemplo ieiunii nuper allato euidenter apparet: non vult enim Ecclesia infirmos obligare lege de ipso lata, quam sic receptissimus usus interpretatus est, vt tunc cessare illius censetur obligatio, quando notabilis alicuius imminet probabile nocuenti periculum, iuxta medicorum iudicium, aut propriam experientiam. Si enim euidentis tantum periculum ad deobligandum esset necessarium, rarò usus carnis liceret, cum illius necessitas solum ex probabilibus haberi solet coniecturis, & a medicis præscribi. Et ita communiter philosophantur de Ieiunio agentes quoad substantiam assertiois, quorum sententia conuenienter potest breui hoc nostro discursu comprobari.

55 Dico tertio. Si lapsus iterati sint, ita vt proxima occasio cenferi possit, probabile videtur non obligari Parochum ad prædictum famulatum dimittendum, & absolui posse, stante firmo proposito in posterum abstinenti etiam si expertus sit se post Confessione aliam recidisse. Sic colligitur ex multorum Doctorum sententiis, circa filios familias, famulos, medicos, chirurgos, mercatores, & circa eos generaliter, qui si dimittant peccandi occasiones, commodam pariter vitæ sustentationem amittent, agrè, si dimiserint victuri, & sic potius morituri. Quod quidem & ad Parochos accommodari posse, qui occasione Confessionum, aut Extremæ vnctionis, dum foeminis Sacramenta ministrant, grauiter labi contingit, graues Auctores affirmant, qui videri possunt apud Dianam Parte 3. Tractat. 5. Resolut. 3. iunctis is, quæ habet, Tractat. 3. Resol. 269. & Parte 5. Tractat. 14. Resolut. 107. & 108. Auctores autem ab eodem adductis addendi Bassæus in Floribus Theologicis. verb. Absolutio, num. 7. vbi ait absolui posse Concubinarium, qui non dimittit Concubinam ob aliquod graue incommodum, P. Martinon Tomo 5. Disputat. 53. num. 287. vbi idem affirmat quando occasio non potest relinqui sine graui scandalo, vel infamia vel magno detrimento spirituali, aut temporali, & Penitens proponit firmiter vri auxilio Animo. P. Bauny Tomo 1. Tractat. 4. Quaest. 14. Dico, 3. vbi adductis alijs, in quibus sunt P. Laymam, & Mag. Candidus, Assertionem probat Primò, quia cum est iusta causa exponendi se periculo peccandi, penitens nec occasionem vult expressè & actu, nec peccatum ex eâ consequens, sed commodum suum, nempe priuationem damni, in famâ, honore, pecunijs, quo bono non frueretur, si occasionem prædictam amitteret, aut vitaret. Secundò, quia iusta & rationalis causa efficit, vt eam nolenti deserere, non sit plene voluntaria, nec illi in culpam imputetur; cum naturali iure liceat cuique honorem suum defendere, vitæ, & statui necessaria non omittere, secundum Nauarrum in Manuali Cap. 3. num. 21. Cap. 14. num. 35. Ergo talis occasio defectu voluntarij vitiosa non erit. Sic ille. Remigius in Praxi Parochorum editionis 4. Tractat. 2. Cap. 6. §. 14. & in terminis magis specialibus loquens Ioannes Sancius in Selectis Editionis Lugdunenſis Disputat. 10. num. 20. quem tamen impugnat validdè P. Arriaga Tomo 8. Disputat. 38. num. 35. & seqq. tamquam

Affertio 3. probabile esse no obligari ad dimittendam occasionem etiam si lapsus iterati sint.

Diana.

Bassæus.

P. Mart. non.

P. Bauny.

quam improbabiler locutum; vnde neque à Diana admissa Resolut. 108. citat. Sed casus noster vrgentior est, vt constat. Pro quo & videndus Thomas Hurtadus Tractat. 1. Cap. 4. vbi cum P. Laymam Tomo 1. Tractat. 6. Cap. 4. numer. 7. §. Exiit, graue incommodum corporis excusare asserit.

Affertio 4. aduicium ut quodam ut sustineri possit probabiliter.

1. Non cogendus seruitice.

2. Vt tempus tribuatur ad Confessionem.

3. Fratrem corrigere, & in modis, quo id faciendum.

4. Instruere, sine peccato sibi assistere possit.

Sed casus excipitur.

5. Dimittendas, quæ specialiter prouocant, si alio non tales inueniri possint.

An possint eadem consistere.

56 Dico quarto. Vt Assertio præcedens possit probabiliter sustineri, aliqua adiuuanda sunt, sine quibus minimè sustineri potest.

Primum, vt seruitrice dictæ non cogatur ad præfatum ministerium, non solum quia libera sunt, sed etiam quia ad persistendum in statu peccati cogentur. Inuitari autem possunt, quia necessitas facit, vt periculum, cui exponuntur, voluntarium inuitanti non sit, iuxta nuper dicta. De coactione autem alia est ratio, quia non est illis liber exitus à peccati statu, in quod etiam inuita pertrahuntur.

Secundum, vt Parochus illis tempus ad Confessionem peccatorum tribuat, illaque exhortetur, vt de peccatis peniteant, & propositum emendationis concipiant, nec sibi deinceps, si ad peccandum prouocauerit, vlla ratione conueniant. Hoc namque non solum herilis cura, sed multo magis Parochi requirit officium.

Tertium, vt non solum instante Confessionis tempore, sed ante illud etiam præceptum fraternæ correctionis adimpleat, exhortando prædictas, vt à peccato absteineant, nec prauo suo moueantur exemplo, qui, si vt fragilis labitur, cum proposito tamen emendationis subinde conuertitur.

Quartum, vt eadem instruat non peccare se mortaliter, eò quòd eas assistentes habeat, etiam si aliquando libidinosa persuasioni consentiant, quia extra domum maioribus sunt periculis obnoxia, neque habent ita commodam vitæ sustentationem. Supponerem ita se habere, vt frequenter contingit, & in casus contingentia mihi assertum. Sed quid si tale aliquid non extet, & tales honestius, & cum decenti ad vitam subsidio agere extra domum Parochi possint? Contrarium prorsus dicendum, teneri inquam recedere; immò & non accedere, si quod est futurum præsentiant, ex communibus regulis circa hanc materiam, de quo citati pro Assert. præcedentibus.

57 Quintum, si cum his modò seruiuentibus occasio peccandi vrgat ob specialem affectionem, quod tamen speratur non ita fore cum alijs, dimittende illæ, etiam si incommodum aliquod, non tamen notabile, ex mutatione sequatur. Si autem idem cum alijs futurum, retineri priores possunt, sic enim non multiplicatur peccata, & minus est scandalum. Vt autem illud cesset, quod ex Confessione prædictarum, & infamia item apud Confessarium oriri potest, neque enim illa nisi explicatâ complicitate confiteri scient, debet Parochus eas monere, vt eidem Confessario, cui Confessus ipse fuerit, confiteantur, si id commodè fieri possit. Sed numquid poterunt confiteri ipsi? Affirmant plures, quos adducit, & sequitur Bassæus verb. Concubinatus, numer. 6. & in specie casus nostri Portel Tomo 2. Casu 50. num. 1. secluso periculo noui conuentus carnalis, aut defectu doloris, & inter causas, quæ hoc licitum reddere possunt, vitiationem infamiae

adducunt; si videlicet expedit foeminam apud alium Confessarium non infamari. Est autem idem de Parocho in casu nostro, & similibus, & cum sit probabile, non est cur illud penitus debeamus improbare, licet improbet P. Fagandez in Præceptum 2. Ecclesie, Lib. 4. Cap. 3. num. 35. ob auctoritatem Cælestini Pontificis in Cap. Non debet 30. quest. 1. vbi grauissima penitentia imponitur ei, qui cum eâ carnaliter commiscetur, cuius audierat in Confessione peccata, eò quòd, vt ibidem dicitur, filia spiritalis sit. Sic peniteat quomodo de filia spiritali. Ad quod tamen citati respondent casum Textus esse diuersum, quia hic non agimus nisi de audiente peccatorum eius, cui carnaliter commixtus est, cum Textus procedat de eo, qui cum audierit, postea spiritali filia commiscetur. Iuxta quæ casu nostro parum videtur dicta sententia fauere, cum de eo agamus, qui non solum eorum peccata audit, quibuscum peccavit, sed quorum iam etiam peccata excepit; ex quo si non diuersæ speciei peccatum habetur, esse tamen circumstantiam aggrauantem multi Doctores tenent, quos adducit & sequitur Ioannes Sancius in Selectis, Disputat. 1. r. num. 5. & 6. Sed nihilominus stat Doctorum, quos citauimus, non improbanda sententia; quidquid enim de qualitate circumstantia illius peccati sit, qui cum filia Confessionis peccat, etiam si demus speciem mutare, totum illud potest audire is ipse, qui peccauit, Sacerdos, rationabili causâ subsistente, & auditum absolutioe delere, cum in citato Canone, aut alio, prohibitio nulla extet; nec ratio filiationis (si tamen verè talis est, quod negant multi apud Auctorem citatum, & ille etiam amplectitur, sicut & Pharaonius Tractat. 1. Sestione 1. r. Casu 5.) obistere nequeat: nam & veram naturalem filiam baptizare quis potest, & filiam etiam spiritualem à se baptizatam à peccatis absolueret, quod in Parochis est obitum.

58 Dico quintò. Quæ dicta sunt, vt hoc auctoritati scriptorum demus, & fragilitati aliorum, quibus desperationis periculum immineret, aliquantulum deferamus, raris debent casibus adaptari, & tam is, quàm alijs Christi proponenda sententia Matth. 18. v. 8. & 9. dicens: Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te: bonum est tibi, &c. cum D. Hieronymi nota expositione in Officio S. Michaëlis. Cui sententia alia consonat apud eundem Euangelistam Cap. 5. v. 29. & 30. vbi ita Dominus: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proice abs te: expediat enim tibi, &c. Vbi non contentus oculum aut manum dixisse, dexterum & dexteram expressit, vt quæ non solum utilita, sed utilissima sunt, si occasionem proximam peccato præbeant, amputanda demonstraret. Et Diuus quidam Ioannes Chrysostomus Homiliâ 17. in Mattheum, ita pro casu nostro exponit, vt per dexterum oculum & manum, mulierem amicam accipiat, de qua iam sermo præcesserat: illa enim abicienda

Admittitur vt probabiliter.

Cap. Non debet 30. q. 1. non obſtare.

Nec rationem filiationis spiritalis.

Resolutioem dictâ non esse generaliter usurpandâ, & quid pro anime securitate proponendum.

Matt. 18. v. 8. & 9.

Et cap. 5. v. 29. & 30.

D. Iohannes Chrysostom.